

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 59. (*Neovidensis* 1808. Nro. 58.)

*Secretum litterarum commercium inter Vivos
et vita functos*

Ad Carolum Vilhelm. Ramler.

Ex mundo superiore.

Elysium Meum. - Die Martis. 2. Aug. 1808 (Neov. 15. Julii. 1808)

Quæstio resolutione digna foret, propterea: quod novum: conspicuum Statum attineat. In qua Cl. solum Ramler, aut Adelung, sed tamen potius Ramlerus opitulari nobis potest, & hæc occasio litterarum:

Vir Clarissime! Quæritur: recte quid scribatur: *Vestpfalia*, aut *Vestphalia*, vel denique: *Vestfalia*?

In *universali Germanorum* de M. Aprili Nro 103. Crito quæstionem diremit statuendo *Vest-Faliam* idcirco scribendum esse: quod in vetustis Codicibus, membranis legibusque, & Annalibus Saxonice *Vestfalahi*, & iis oppositi *Ostfalahi*, regionem hanc incolentes, ita adpellati — vox *Falahus* vel *Falia* videtur veteribus Alemannis Districtum aut Dinastiam significasse.

Sed cur hæc novatio? an quæso, *Usus* non quovis tempore linguarum despota est? *Tyrannus*? quanta in nostra lingua mutan-

da essent, si jugum hujus despotaë abjicere vellemus? Quapropter hujus Imperantis præcepto ductus existimo: Vestphalam scribendum & retinendum esse, quod rerum magister unus amplissimus ita jubeat.

Dilecte mitissime Ramlere! fortassis occasio quæstionis te latebit? — ex tempore tui ab orbe discessus, multa & multa mutata sunt. Vestphalia hodie novum Regnum est, En aliqua uberiora:

Doctus quidam Hasselius, plenus solatio Unione posteriorum Cherusci, Cattis & Chaucis ortorum, in Regno Vestphaliæ, Germaniam in Germania conservari, Statisticam descriptionem hujus regni ante ejus organisationem Brunsvici typis edendam curavit.

Secundum Claris. Hasselum Reg. hoc complectitur in ambitu $654\frac{4}{7}$ □ milliaria, 1,900,000 Incolarum, ut proin Impopulatio Intensiva 2917 ad 1 □ redituum publicorum summa secundum Calculum eorum initum efficit 12,720,000 Flor. urbes censet 197, quarum Brunsvica 31,614, Magdeburgum 30,611 Incolas numerantes amplissimæ sunt, metropolis enim Casselæ saltim 18450 Incolas censet; 4179 oppida & pagos, majora opp. 64.

Neo erectum hoc regnum omnibus ad necessariam vitæ sustentationem optabilibus abunde provisum est; natio plurimum agriculturæ dedita, regio inexhaustibilem ubertatem salis, & 21 Salis fodinam censet, quarum præcipua inter Europæas Halensis; ligno & lythantracibus abundat, fodinæ notabiles,

Fabricæ frequentes & Manufacturæ, præcipue telæ, lanæ, corii, papyri, Tabacæ, terræ argillacæ, Olei &c. viæ commerciales insignes, duo navigabiles fluvii Albis & Vurgis, conspicua, nomine ipso clara publica Educationis Instituta, Academia Göttingana, Halensis, Helmstadiensis, insigne fortalium confinarium adversus Borussiam Magdeburgum.

Hæc te, vir doctissime! geographica æsthetica terrore replebit, Borussus enim es, ast novus Seclorum ortus est ordo, quem si repeteres, existimares non in patria tua, sed extera ora te degere, sane æsthetico stupore replerere, dum quæ olim erant, subruta contemplereri.

Interea aliqua nova tibi adjungam legenda.

Ephemerides Neo Eboraco de 11. Maji sequentia continent: Navis Thames ex Batavia nuncium attulit: Classiculam Edvardi Pellew binis linealibus, tribus mediocris, 2 infimæ molis constantem, 1200 viros armatos continentem ad portum Ontrust adpulisse, eumque in potestatem redegissee. Duæ lineales Hollandiæ, & una orientales Indias petens navis in manus Anglorum devenit.

Aliud nuncium. — Die 13. Julii matutina Septima Studtgardam adpulit: Askerchamus Reg. Persicus extra ord. legatus ad aulam Gallicam comitatu circ. 40 pers. 9 Carpentis, Vindobona veniens, Parisios proficiscens.

Ephemerides Hamburg. complectuntur Anglicanas relationes per Sveciam Londino de 18. Junio. Summa earum his absolvitur:

Dux Engolismensis per Gothenburgum Holmiam Mitaviam profectus, uxorem suam & Comitum Provinciæ in Angliam adducturus, Sessiones Parlamentares ad finem vergunt, & bellum maritimum continuabitur.

Petropoli de 22. Junio. Omnes rumores intuitu pacis instantis ratione niti videntur.

Anno 1802. hujus philharmonica Societas a frequentibus amatoribus Musicæ condita est, reditus & annua subsidia collata Capitali destinabantur; ex cujus Censibus viduæ pauperes hujatum Musicorum annuas pensiones obtenturæ essent. Ad præsens munifice dotata societas præter notabilem in mobilibus consistentem Summam, Capitale quoque 30000 Rubellarum collectum habet, ex quo Septem viduæ stipendio 300 Rub. providentur.

Societas in memoriam Clarissimi Haydennum 74 ducatos adpendentem edendum curavit, stigma ejus ex labore Cons. Lebrecht desumptum est, antica lyram, cui nomen Hayden, lauro obvolutum, inculptam exhibet, in limbo annus erectæ Societ. cum epigraphæ: *Societas Philharmonica Petropolitana, Orpheo redi-vivo hoc numisma celeberrimo viro a præsidibus Societatis transmissum, cum sequenti-bus litteris.*

„Viro Clarissimo J. H. Capellæ Magistro Vindobonæ. „Præsides hujatis philharmonica Societatis mandato semet exsolvere

Ephemerides Hamburg. complectuntur Anglicanas relationes per Sveciam Londino de 18. Junio. Summa earum his absolvitur:

Dux Engolismensis per Gothenburgum Holmiam Mitaviam profectus, uxorem suam & Comitum Provinciæ in Angliam adducturus. Sessiones Parlamentares ad finem vergunt, & bellum maritimum continuabitur.

Petropoli de 22. Junio. Omnes rumores intuitu pacis instantis ratione niti videntur.

Anno 1802. hujus philharmonica Societas a frequentibus amatoribus Musicæ condita est, redditus & annua subsidia collata Capitali destinabantur; ex cujus Censibus viduæ pauperes hujatum Musicorum annuas pensiones obtenturæ essent. Ad præsens munifice dotata societas præter notabilem in mobilibus consistentem Summam, Capitale quoque 30000 Rubellarum collectum habet, ex quo Sep-tem viduæ stipendio 300 Rub. providentur.

Societas in memoriam Clarissimi Hayden nummum 74 ducatos adpendentem edendum curavit, stigma ejus ex labore Cons. Lebrecht desumptum est, antica lyram, cui nomen Hayden, lauro obvolutum, inculptam exhibet, in limbo annus erectæ Societ. cum epigraphæ: *Societas Philharmonica Petropolitana, Orpheo redi-vivo hoc numisma celeberrimo viro a præsi-dibus Societatis transmissum, cum sequenti-bus literis.*

„Viro Clarissimo J. H. Capellæ Magi-stro Vindobonæ. „Præsides hujatis philar-monicæ Societatis mandato semet exsolvere

festinant, quod inter amœnissima & honorificentissima vitæ suæ censent. Delata videlicet his provincia immortalis auctori excellentissimorum musicalium operum argumentum irrestrictæ venerationis, qua cum quovis Musicæ amante commemoratione Haydensianominis exardescunt, una & pii animi documentum edendi, quo raro justius, nunquam sincerius & intensius quis correptus est.

Philharmonica Societas originem suam debet humano Zelo nonnullorum Cultorum Musicæ artis, licuitque ei tam felici vota amplissima sua brevi post, opinione ferme magis impleta videre, sicque coaivit scœdus, cui jam depæssenti non exiguus viduarum numerus æruanis exentam senectutem debet, & quod humanitatis amans Cæsarea domus nostra, & beneficus populus, fulciens in uberimas boni progressus spes ven re jubet.

Nos intima cum veneratione subscribimus. &c. Petropoli 22. Maii 1808.

Gothenburg. die 28. Junii. Holmenses Ephemerides aulicæ de 31. Maii hæc continent: „Campi Mareschallus C. Klingspor, ad Regiam Majestatem seqv. Proclamationem expedierat, editam a Russicarum Copiarum Præfecto C. a Buxhövden.

Ex principe hospitio Helsingfors 2. Aprilis. Omnes militares penes exercitum in Finnia Stipendia facientes, exercitum Svecicum extra fines Finniæ prosequentes; neque intra proximas tres hebdomades loca domici-



lii consveta repetentes hisce certiores redduntur: se a beneficiis Proclamatione S. M. de 29. Martio contentis exclusos, bonaque & prædia eorum ad Cæs. Maj. rationes Aerario publico inferenda. C. Buxhövden Gen. Dux pedit. & Præfectus Cæs. Copiarum. in Finnia

I t a l i a.

Venetiis die 3. Julii. Nudius tertius in meridie Urbis duæ magnæ molis Anglicanæ Fregatæ in conspectum venire, aquasque explorare exmissis exploratoriis cæpere, confestim præsidarii educti, vicinæ Insulæ copiis bellicisque machinis munitæ. Hesterno mane hostiles naves rursus recessero, quin ultra quid molirentur, majoris magnitudinis naves vexillum Præfecti navalis præseferebant, probabile est, Centurionem Campell ea contentum, qui hactenus navigationi in Mari Adriatico non exigua damna intulit. In regione Corcyrensi priore Mense Piratæ quoque animadvertabantur.

Pisa sub 25. p. m. seqv. feruntur: aula Lucensis de præsentis nostra in regione thermarum gratia versatur. Cum Princeps Lucensis heri pro more equo incederet, ex eo lapsus graviter in brachio sauciatus est; Mox Cursor ad celebrem apud nos Chirurgum, Andream Berlinghieri expeditus, qui jam rediit securos nos reddidit; quantum e tumore brachii sententiam depromere licet, vulnus principis haud metuenda consecutaria portendere

B I O G R A P H I A.

Ramler (*Carolus Wilh.*) ex celeberrimis Germanicis Poetis, Aestheticis, & Versoribus natus Colbergæ die 25. Febr. mature Orphanotrophium Halense ingressus, cum propensionem in germanicam Poesim proderet, doctores ejus operam dedere latinam ei commendandi; at *Ramlerus* brevi divinavit, quid germanica lingua valeat, quæ reapse magnam Culturæ suæ partem ei debet, primis regiminis annis *Fridericus II.* Berolinum veniens, brevi ut *Odarum Lyricus Poeta* inclaruit; Anno 1748. Collegio Candidatorum Officialium militarium adnotus Berolini Anno primum 1758 Cathedram æstheticæ in hoc Instituto modico stipendio nactus, *Frid. Wilh. II.* Poetam primo ornavit præmio, annuam 800 Imperialium pensionem ei assignando; & 1790 Co-Directorem Regii Theatri Nationalis creando. Sub finem 1796 munere se abdicavit, privato otio litterario vacans usque 1798 quo ad æternum otium migravit. *Ramler* merito *Horatius Germanicus* habetur, quippe cogitationum elegantiam, poeticamque energiam subtilissima puritate & expressionis venustate, atque versuum consonantia copalavit. Ejus odæ lectorem continuo abripiunt, linguæque germanicæ ingens opera ejus accessio facta est. Ratio, qua doctrinam, documentum, præmonitionem & excitamentum genuino lyrico sapore connectere novit, semper, prout opus totum, nobilis exemplarisque erit.

Versio ejus Odarum Horatianarum 1800 primum edita perfectissima omnium est. Primus etiam hujus familiaris sui metrum imitatus est. Ejus Cantus, Mors Jesu, Resurrectio, Ascensio in Cœlos semper exemplaria, quæ nemo assequetur, manebunt. Innegabilia quoque ejus merita in emendationem Germ. Poetarum, quos in Collectionem poeticam (Florilegium lyricum) adoptavit, brevius reddendo, transferendo, permutando tepidam vocem aut phrasim, fortiore & aptiore, hinc inde aliam imaginem interjiciendo, versum sonorum magis reddendo, in Summa: ejus Critica poeseos stilum tantum adfecit, genuinam Poetæ indolem nunquam erasit. Porro auctor est Versionis Introductionis in elegantes artes a *Cl. Batteux*, quæ quater denno typis edita, & prima editione jam magni facta est. Elegans porro versio Martialis in 5 Tomis 1781—91 & Catulli 793, Brevis Mythologia in 2 Tomis 1790, & alia plura scripta, quæ honorificam ei Immortalitatem adferunt. Aeri sæpe ejus imago incisa, in ceteris ante primum Tomum Univ. Germ. Bibliothecæ & 3 Tomo Physiognomiæ Lavateri. Splendida ejus operum Editio in forma quarta post fata auctoris prodit.
